



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata
Heinrychi Bullingeri lib. IIII**

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1535

VD16 B 9759

Quomodo in adflictione pijs agendum

urn:nbn:de:hbz:466:1-35433

LIBER III.

Quomodo
in afflictio-
ne agēdum
pijs.

possimus, et facit cum tentatione exitum et c. Omnis
no suos afferit deus. Aut enim corda tyrannorum et
principum illustrat, ut fauore suos prosequantur, quem
admodum fecit Pharaoni erga Iosephum, Cyro erga
Iudeos, Xerxi in Esdram, Artaxerxi in Nehemiam,
Ahasuero in Mardochaeum, Nabuchodonosori in Da-
nielem, ut fideles et pijs non nihil respirationis habe-
ant. Aut si omnino statutum est tyrannos et impios
perdere, talibus ac tantis signis id ausplicatur, ut nemo
de bona uoluntate dei dubitare possit, et re coepit
fausto fine claudit. Si quis iam extra hunc ordinem li-
berationem meditatur, quasi ex deo rem coeperit, tan-
tum efficiet, quantum Ismael contra Babylonios in in-
terfectione Godoliæ 4. Regum 25. et Hierem. 40. Sed
age exempla quædam ex armamentario scripturarum
proferemus, quibus manifestum fiet, et qua ratione
deus suos liberet, et quam infeliciter tentetur ab his
qui audacia et tumultu contra dei uoluntatem euia-
dere conantur. Populus Israël in Aegypto aliquot sea-
culis seruierunt, uarijs laboribus presi, grauiterque ad-
flicti: super haec coacti sunt uidere ut nati pueri in Ni-
lo à partu mergerentur. Mox ut ad dominū uero cora-
de clamare coeperunt, exaudiiti sunt à domino. Mosen
enim misit qui dux esset et liberator populi. Suos per
mare sicco pede transduxit, Pharaonem cum suis in
profundo pelagi submersit. Exodi 14.

Saul

Saul rex Israëlitarum prophetas dei interfecit, Dauidem persequutus est innocentem. Non se vindicat Dauid, nec regno pellit Saulem, quin ipse fugit, et quum bis in manus eius incidisset, pepercit, et abire illesum permisit, dicens: Proprius sit mihi dominus, ne faciam hanc rem domino meo christo domini, ut mittam manum meam in eum, quia christus domini est. Vixit dominus, quia nisi dominus percusserit eum, aut dies eius uenerit ut moriatur, aut descendens in prælium perierit, propius mihi sit dominus, ut non mittam manum meam in christum domini. 1. Reg. 24. Alias quum Abisai diceret: Cœclusit deus hostē tuum bodie in manus tuas: nunc ergo perfodiam eum lancea in terra semel, et secundo opus non erit. Dixit Dauid ad Abisai: Ne interficias eum, quis enim extendet manum suam in christum domini, et innocens erit? 1. Reg. 25. Hæc uerba, mi Simon, recte expensa, docent, nobis impetum carnis nostræ nequaquam sequendum esse. Quum enim appeteret tempus quod constituerat dominus, tulit è medio Saulem non Dauid, sed dominus ipse, gladio quod ipse immiserat, et Dauidem in solium regni euexit. Sæpius adflicti sunt filij Israël sub tyrannis et impijs, ut habet Iudicum historia, nemo liberatione suo marte molitus est. Dominus uero liberauit eos per Gedeonem, Samsonem, Iephthe, cæterosq; quos ipse ad huiusmodi negotia delegerat.

Quis tumultu adgreditur regem impium Achab,
 quum idola erigit, Naboth innocentem & bonum ui-
 rum lapidibus obruere iubet, nec ius nec æquum ser-
 uat, prophetas trucidat, Heliam persequitur? donec
 Helisæum excitat dominus, qui mandato domini Iehu
 in regem ungit, ut pro domino vindictam de impijs
 sumat, 4. Reg. 9. 10. Sic Ioiada Athaliæ: sic rex Aþy-
 riorum Manassi fecit. Quâto tempore Cæsares Roma-
 ni Christianum sanguinem fuderunt? nemo tamen per
 tumultum id mutare tentat, donec Constantinus Ma-
 gnus ueniret. Possem referre Atheniensium Thrasyl-
 bulum, et Heluetiorum Guilielmum Tell & Stouffer-
 ker, sed scripturæ exemplis contenti erimus. SI=

MON. An ergo tyrannis semper impune impijs
 esse licet? qui ex uerbis Pauli Roma. 13. prætextum
 malitiæ suæ sumunt, sub quo fraudant, furantur, latro-
 cinantur, trucidant, & nihil non tentant, nouis exas-
 ctionibus populum subinde deglubunt, luxu, ebrietate,
 ludo, scortatione, bellisq; perditi sunt: & peſima
 quæq; designat. Ego uero tibi ex Hieremia, 15. oſten-
 dam populum puniri à deo, dum impune finunt graſ-
 fari tyrannos. Post quatuor enim plagas quas illic re-
 censet mox causam subiicit, dicens: Et dabo eos in fer-
 uorem uniuersis regnis terræ: id est, concitabo in fu-
 rorem contra eos regna terre, propter Manassen fi-
 liū Ezechiæ regis Iuda, propter omnia quæ fecit Hie-
 roſolymis

rofolymis. De flagitijs quæ designauit uide 4. Reg. 21.
Si Iudei regem suum non ita impune conseleratum
esse permisissent, à deo non tam grauiter fuissent ad=
ficti. Oportet oculum offendentem effodere et abij
cere: sic de manu et pede. IOIADA. Duplex
est quæstio. Prima, Mouendus ne sit loco tyrannus? Al=
tera, Quo pacto aut per quos? Nihil ergo inferior tol=
lendum esse magistratum peñimum, sed nō hoc pacto
quo tu uis. Non est ut eum trucides, nec ut bellum ac
tumultum quis excitet, alijs enim uijs res tentanda,
quia in pace uocauit nos deus, 1. Cor. 7. Omnino tol=
lendus est tyrannus, nam et Saulem ab officio depo=
nit Samuël, et Dauidem in regem ungit super popu=
lum Israël. Athaliam regno ejicit Ioiada, et Ioas præ=
ficit. Si ergo communibus suffragijs creatus est rex et
incipit esse flagitiosus, communibus uotis rursum ejicia=
tur, nisi omnes cum eo puniri uelint. Quod si consen=
su et electione paucorum principum est electus, si=
gnificet populus illis flagitiosam huius regis uitam,
atq; edicat ferendam hanc haudquam esse, ut eum
loco moueant qui inangurarunt. Hic iam labor est,
nam qui hoc faciunt, in eos pro libidine sua tyrannus
grassari incipiet et quos uult mactabit. Sed glorio=
sum est pro iustitia et ueritate dei mori. Praestatq; pro
iustitiae defensione, quam assentiendo iniustitiae, aut
dissimulando, postea cum impijs trucidari. Qui hoc

q